

<[sida 12](#)>bris nostris repugnantem non modo religioni, sed etiam rationi, totumque genus humanum in captivitate retinentem; *nam quilibet faciens peccatum est servus peccati.*

An creditis verum christianum, cuius regnum non est de mundo, cuius civitas æterna est in coe is, cuius victoria in compescendis cupiditatibus, cuius libertas in refrenatis animi affectibus consistere videtur, et cuius animi magnitudo in eo maxime elucet, quod injurias impiorum hominum æquo animo ferre possit; an creditis eum, qui nihil aliud de commodis hujus mundi poposcerit, quam ut fidem suam unicam in Deum et in Dominum nostrum Jesum Christum, integrum, intactam et inviolatam habere liceat; an creditis inquam, eum, qui servitutem hujus mundi sine odio, sine ira, sine indignatione tolerare potest, unquam desudaturum in disceptationibus hujus mundi de rebus inanibus, de regno civili, de prærogativis imperii et fic porro? Non crediderim. Nam christiano idem est, Turcarum ne Sultano an Americae præsidi debita solvat. Et quod ad jus civile pertinet, parum refert, servus ne, an dominus nominetur; quippe qui per se dominus est et rex et imperator vi potentiae et dominationis internæ, qua sui compos esse et aliis svadere potest. Itaque non servitutem physicam sed moralem ægre sert christianus.

Quæ, quum ita sint: quid tandem censendum judicatis de turba illorum, qui perfricata fronte et inaudita prorsus procacitate clamant, vociserantur, adversus reges et imperia acriter invecti? Vel de illis, qui arrectis auribus suspensoque naso auscultant, attoniti quasi et avide devorantes voces barbarorum <[sida 13](#)> clamantium : pereant reges! pereant leges majorum! vivat libertas! vivat religio Straussian! O! stultitiam hominum, qui astutiam Diaboli non animadvertunt, se captos dolo non vident. Ego contra ea exclamare vellem: delirat mundus; illaqueatus est illecebris Satanæ. Furit orbis terrarum, ac de chriftiano factus est pejor gentibus. Quem enim unquam gentium audiveritis mutare deos, alienos lares penatesque adoptare, pro summo numine semet ipsum sub humanitatis specie venerari, sana altariaque struere rationi, quod nuper, vel paulo ante nostram memoriam factum legimus aqud nationem Gallicam, quæ ob eam causam, etsi ad fummum humanitatis urbanitatis que fastigium enixa, nihilo secius in Tartarum detrusa videbatur, cum tota civitas sangvine suorum civium cruenta haud immeritas daret poenas nocti Bartholomæi. Tum demum apparuit omnibus, quid sibi velit libertas hujus mundi. Vide, ne sub libertatis specie idem gratum spectaculum paretur Diabolo in nostra patria.

Sed miremini forte L. me, cum de ceteris ordinibus multa, indigna licet vobis visa, disserui, nullam ejus ordinis mentionem fecisse, ad quem ipse pertinere videor. Sed de hoc ordine nihil fere est, quod agam. Est enim hoc genus hominum invisum omnibus; et si ego de me et de collegis sententiam meam præsiscini edicere auderem: vercor, ne oratio mea nimis discrepare videatur ab auribus vestris.

Interesse hujus ordinis videtur, non tantum omina insausta et sinistra
hujus ævi animadvertere, et oracula potentibus dare, sed etiam scdulo
precari, ut Deus avertat omen, operamque dare, ne quid capiat detrimenti
respublica divina.